



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXI. Crucifixus verus Pelicanus amoris, qui in sanguine suo nos vivificavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Eccl. 5. 4.

morte commutarunt. En DEUS non illudicetur, neque irridetur: *Altissimus enim est patiens redditor*; O quam terribilem vultum tibi aliquando in tuo mortis agone ostendet, O Clerice! O Religiose! Si hic negligens & tepidus fueris: Maledictus ille, qui facit opus Dei negligenter, e contra benedictus ille, qui facit opus Dei diligenter. *Fachoc, & vives.*



## CONSIDERATIO CXI.

Crucifixus verus Pelicanus amoris, qui in sanguine suo nos vivificavit.

*Similis factus sum Pelicano solitudinis. Psal. 101. 7.*

I.

Psal. 101. 7.

**D**AVID, ut mœrorem suum exprimeret, quem ob admissum peccatum & offensum DEUM in animo conceperat, se Pelicano solitudinis, qui hominum, aliorumque animantium solet evitare consortia, assimilare non dubitavit: *Similis inquit, factus sum Pelicano solitudinis.* Voluit per hoc David in amaritudine animæ suæ demonstrare rerum terrenarum omnium fastidium, & desiderium ab aula fugiendi in solitudinem ad deploranda sua delicta, & ad DEO unice vacandum, & hic illorum verborum sensus litteralis est.

SS. Aug. Hieron. Gregor. Epiphan. Petr. Dam. & alii &c.

Psal. 54. 8.

Sed altiùs erige animum. Per Pelicanum communiter SS. Patres Christum JESUM & hunc crucifixum subaudiunt. De Pelicano refert S. Hieronymus, Cassiodorus & alii quàm plurimi, quòd sit avis in Ægypto in Nili solitudinibus juxta aquarum fluentia commorans, ciconis corporis granditate non absimilis, qui naturali macie semper affectus est, non gregatim volans, sed delectatione se consolatur solitariâ; unde rursus David: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Non poterat quidem bonus Rex inter tot regni occupationes & negotia habitare in deserto; sed elegit sibi subinde cordis solitudinem, ut liberiùs cum DEO ageret; unde de illo S. Gregorius: *Ps. 6. peccat. Neque Rex potentissimus, qui tot millibus populorum præerat, in solitudine*



habitabat; habitabat autem in solitudine cordis sui, in qua nullos hostium spiritualium impetus, nullos perversarum cogitationum strepitus, nullos pateretur clamoris iniquitumultus. Hoc & Christus Filius David fecit, amans solitudinem, ut Pelicanus, & secedens in desertum, ut ibidem jejunaret, oraret, & solus in meditationibus DEO vacaret. Math. 4. 1.

2. Pelicanus præ cæteris omnibus volucribus amans est suæ prolis, & si aliunde cibus non suppetit, esculenta de stomacho suo eruat, quibus Pullos in vita conservat; pro quibus & mortem & ignem patitur, dum enim in fossa humo ova sua collocare assolet, venatores, ubi locum notarunt, illic ignem subjiciunt, quod videns Pelicanus periculum celeriter advolat, & dum pennis suis accensum ignem conatur extinguere, magis illum pennarum agitatione accendit: Sic combustis alis facile venatoribus in prædam cedit; proinde rectè illi pro lemmate adscribes: *Amanti nihil difficile*. En genuinum typum pietissimi Redemptoris tui, divini illius Pelicani, pullos suos propriâ carne & sanguine in SS. Eucharistia pascentis, & præ nimio amore se ipsum in mortem tradentis: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum &c.* Rom. 8. 32.

3. Pelicanus præ nimio amore in prolem pectus suum rostro proprio lancinare & aperire solet, ut pullos suos veneno serpentis enectos suo sanguine erumpente de novo excitet & vivificet, unde iterum lemma: *Mortuos vivificat*, vel si mavis: *Ut vitam habeant*. Ita amantissimus Redemptor noster Christus, utpote verus Pelicanus amoris in cruce sacratissimum suum pectus, imò omnes corporis sui venas & poros referari sibi voluit, ut nos per peccati venenum infectos, & ab infernali serpente suffocatos non tam à morte resuscitaret, quàm & proprio cruore, ex perforato suo latere & sacris vulneribus profuente, in vitam meliorem & æternam enutrirer. Ita Apostolus: *Propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo &c.* Ephes. 2. Ecce quomodo huic divino amanti nihil fuit difficile, quod non pro nostra salute sustineret, quia *Verus amor nullum novit habere modum*.

4. De Pelicani filiis recenset Bartholomæus Anglicus, quòd in parentes suos magnam exerceant ingratitude, nam dum paulatim aliò avolare possunt, sibi que parare escam, non solum suorum parentum vivunt immemores, sed & turpiter eos deserunt, ac contemnunt, uno tamen illorum excepto, qui in nido pectori patris vel matris proximus semper adhæsit, hic solus usque ad mortem parentum fidelis & gratus permanet, illos in senectute adjuvando, enutriendo & in omni necessitate pro viribus succurrendo. Ah quoties &

*Gint her Unus pro omnibus.*

G g g

nos



Iſa. 53. 5.

nos ingratos erga ſummum benefactorem noſtrum crucifixum: Jeſum demonſtramus, cujus tamen livore ſancti ſumus? *Iſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: disciplina pacis noſtra ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* Audi anima peccatrix, quid in utramque tibi aurem inclamet pretioſiſſimus Redemptor tuus:

*En homo, quæ pro te patior torment a Redemptor!*

*Et potes Autoris non meminiffe tui?*

Audi & talum Poëtam, inſignem crucis amatorem, quàm devotè acpiè de noſtro crucifixo Amore ſcribere & cantare ſoleat:

*Pende il Figliol di Dio col capo chino,*

*Pende ſu l' legno con le braccia aperte,*

*E tutto il mondo à lui non ſi converte?*

*Piangete ò figli, e battetevi il fronte,*

*Copritevi di veſti oſcure & adre,*

*E morto, è morto il voſtro caro Padre.*

*Poveri, infermi, vedove e pupilli*

*Chi vi darà ſalute, over conforto,*

*Se chi di voi prendea la cura, è morto?*

*E tu mia peccatrice Alma, che fai?*

*Se vedi in croce il tuo Signor eſſangue,*

*Come non ſpargi lagrime di ſangue?*

5. Venit hic mihi in mentem Clemens XI. Pontifex Maximus, qui pro moderno temporis intervallo S. Petri claves tenet, qui non nemo hoc egregium Emblema fecit; juſſit is pingi Pelicanum pullos ſuos ſanguine proprio irrorantem cum inſcripto: *Aliis, non ſibi Clement.* Per quod alludebat ad ſummam illius Clementis Undecimi in diverſos clementiam ac beneficentiam, ſui autem ipſius rigorem ac continuam crucis mortificationem. Plus in Chriſto & hoc crucifixo: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit condolere infirmitatibus noſtris &c.* Unde in cruce dedit omnia quæ habuit, non primam ſed ultimam Sanguinis ſtillam, ut divinus ille Pelicanus amoris in novam nos regeneraret creaturam ac vitam; hinc rectè B. Petrus Damianus: *Sapientia Dei, inquit, in cruce pendens latus apernit, ſicque peremptos ad vitam ſacroſancti Sanguinis ſui proſtudio revocavit.*

Hebr. 4. 15.

B. Petr. Dam.  
l. 2. ep. 18.



6. De Pelicano refert ulterius S. Gregorius, quod venenatis ve-<sup>s</sup> Gregor. in  
scatur animalibus: *Pelicanus avis est amans solitudinem, in qua venenatis* Psal. pœnit.  
*animalibus vescitur. Christus crucifixus, verus Pelicanus amoris rectè di-*  
*citur venenatos comedere serpentes, hoc est; peccata nostra, quia*  
*posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Isa. 53. 6.

Pelicanus ob mœrorem & mortem pullorum à serpente occiso-  
rum cantum edit lugubrem & absonum. Christus in cruce, quia in  
peccatis nostris mortui eramus, ut nos per passionem & sanguinem  
suum vivificaret, lugubrem edidit cantum: *Cum clamore valido & lacry-* Hebr. 5. 7.  
*mis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

De cetero primi Christiani inter tot tyrannorum Gentilium per-  
secutiones plerumque non audebant imaginem Christi crucis trunco  
affigere vel appingere, sed in summo nudæ crucis apice Pelicanum  
statuebant pro sanandis & fovendis pullis suis proprium pectus suum  
rostrum sauciantem cum inscripto lemmate: *Pro lege & pro grege.* Pul-  
cherrimum symbolum, quod sibi appropriavit Joannes 2. Lusitaniæ  
Rex. Et si quondam in veteri lege, prout loquitur Apostolus, *san-* Hebr. 9. 13.  
*guis hircorum & taurorum & cinis vitula aspersus, inquinatos sanctificavit ad*  
*emundationem carnis: quanto magis (ut à fortiori philosophemur ratione)*  
*Sanguis Christi, divini illius Pelicani, qui per Spiritum Sanctum semetipsum*  
*obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis,*  
*ad serviendum Deo viventi?* Dicamus proinde sæpius cum D. Thoma  
Aquinate præsertim dum crucifixum aspiciamus: *Pie Pelicane JESU*

*Domine, me immundam munda tuo Sanguine, cujus una stilla*  
*salvum facere totum mundum quit ab omni*  
*scelere.*

